



MEMORIE



REALE ACCADEMIA

DELLE SCIENZE

DI TORINO

SERIE SECONDA

Tomo I.

TORINO

DALLA STAMPERIA REALE

MDCCCXXXIX.





DE QUIBUSDAM INSECTIS SARDINIAE

NOVIS AUT MINUS COGNITIS

Fasciculus II.

AUCTORE JOSEPHO GENÉ


 Exhib. die 21 Ianuarii 1838.


I.

CYMINDIS *Marmorae*, NOB.

Tab. I, fig. 1.

Nigra, nitida, capite thoraceque obscure ferrugineis; elytris striato-punctatis, interstitiis parce punctulatis, margine exteriori, macula humerali apicaliue, antennis pedibusque dilute ferrugineis.

Longit. $3\frac{1}{2}$ -4 lin. — Latit. $1\frac{3}{4}$ lin.

Frequens sub lapidibus in summis iugis *del Genargentu*, mm. iunio et iulio.

DESCR. Species quoad elytrorum picturam *Cym. laterali* et *binotatae* Fischeri, nec non *Cym. maculari* Manuerheimi, affinis, sed ab hisce insectis rossicis diversa capite thoraceque impunctatis, abdomine nigro, pubescentia nulla. — Caput obscure ferrugineum, nitidum, sub lente vix punctulatum, circa oculos longitudinaliter rugosum, antennis dilute ferrugineis. Thorax capiti concolor, sulculo longitudinali rugulisque undatis, transversis, impressus, marginibus praesertim posticis subtilissime

ruguloso-punctatis. Elytra nigro-castanea, nitida, profunde punctato-striata, interstitiis parce et vix sensim punctulatis, macula humerali oblonga cum margine laterali coerente, margine ipso lincolaque apicis, inter striam 2.^{am} et 3.^{am} ut plurimum inclusa, dilute ferrugineis. Abdomen nigrum, nitidum. Pedes antennisque elytrorum concolores.

Speciem dixi in honorem Viri et Conlegae praestantissimi Eq. *Alberti della Marmora*, qui improbis laboribus, omnigenaque doctrina Sardiniae historiam naturalem et civilem inventis et observationibus summi pretii ditavit.

II.

LEBIA nigricollis, Nob.

Tab. I, fig. 2.

Nigra, nitida, antennarum articulo primo ferrugineo; coleoptris flavis cruce nigra.

Longit. $2 \frac{2}{3}$ lin. — Latit. $1 \frac{1}{3}$ lin.

Algoze correptam semel legi in nive *del Genargentu*, ineunte julio.

DESCR. Lebiae omnes, quotquot ad nostram hactenus aetatem ab auctoribus proditae sunt, prothorace rufo vel testacco gaudent: species nostra e contra hanc corporis partem penitus nigram habet, ideoque perquam distinctissima et primo intuitu dignoscenda inter congeneres evadit. — Caput parvum, nigrum, punctatum, punctis latis, confluentibus, ore penitus concolore. Antennae nigrae, articulo primo ferrugineo. Thorax niger, subtransversus, capite vix latior, utrinque rotundatus, marginatus, marginibus reflexis, angulis anticis rotundatis, posticis rectis, profunde foveolatis, supra in medio longitudinaliter sulcatus, subtilissime transversim rugulosus. Scutellum parvum, triangulare, acutum, nigrum. Coleoptera nigra, striato-punctata, interstitiis parce et subtilissime punctulatis, macula magna humerali alteraque apicali in singulo elythro flavis. Abdomen et pedes nigri, unguibus dumtaxat rufis.

Observ. Nix Genargentea, quae in seram aestatem saepissime perdurat, attentis oculis lustrata pluvias et sane perraras, quandoque etiam prorsus novas insectorum species mihi obtulit. Utrum vento percussa illic tot animalcula concidant, an nivis ipsius nitore rapta, uti id obtinet apud nonnulla Lepidoptera diurna quae candidis linteis e longinquo advolant, me omnino latet. Utenumque vero id accidat, dolet de Insectis eo modo et loco inventis ne verbum quidem, quod ad mores vel vitae oeconomiam spectet, dici posse.

III.

CARABUS *Genei*, DEJ.

Tab. I, fig. 3.

Oblongo-ovatus, niger, nitidus; thorace subquadrato, rugoso; elytris confertissime striato-punctatis, interstitiis interruptis, lineolis majoribus elevatis triplici serie.

Longit. 10-11 lin. — Latit. 4-5 lin.

In montibus *di Limbara* frequens ineunte primovere; reliquis anni temporibus aequè in montibus obvius, sed admodum rarus.

DESCR. Hoc insectum idem esse ac Carabum quemdam a clariss. Doctore Ramburio in Corsica inventum et a Comite Dejean in 2.^a Catalogi sui editione *Ramburii* nomine indigitatum, patriae vicinitas et nonnullorum Entomologorum sententia primum mihi persuaserat. Opportune attamen de hac synonymia serius dubitavi; species enim celeberrimo Parisiensi Entomologo communicata a Carabo corsico diversa, thorace in primis subquadrato (1), habita fuit mihiq̄ benevolenter dicata. — Corpus totum nigrum, nitidum, supra vix sensim metallescens, oblongo-ovatum, magnitudine et forma *Carabi Rossii*, Bon. Caput parvum, inter oculos parçe et vage punctulatum, pone oculos rugulosum. Antennae nigrae, articulis ultimis brunneo-pubescentibus.

(1) Thorax *Carabi Ramburii* valde cordiformis. Dej. in litt.

Thorax subquadratus, latus, antice posticeque emarginatus, angulis anticis rotundatis, posticis dilatatis, subreflexis, fere rectis, linea media longitudinali, punctis confertis rugulisque flexuosis impressus. Scutellum parvum, transversum. Elytra convexa, thorace triplo longiora, confertissime striato-punctata, striis punctisque minutissimis: interstitia elevata, interrupta, in lineolas seriales, oculo armato postice aculeatas, divisa, lineolis tertii, septimi et decimi maioribus magisque elevatis. Pedes nigri, nitidi.

Observ. Fateor me non sine quadam repugnantia, immo invito prorsus animo, speciebus mihi dicatis locum in hoc fasciculo dedisse: sed necesse id mihi erat praestandum, eo enim tempore quo cl. Dejean hanc honoris significationem largiebatur, icones iam aeri absolverat caelator.

IV.

NEBRIA *Geni*, DEJ.

Tab. I, fig. 4.

Testacea vel ferruginea elytris obscurioribus; thorace postice valde coarctato; pectore nigro, nitido.

Longit. 4-4½ lin. — Latit. 1½ lin.

Secus torrentes et rivulos montanos Sardiniae borealis et mediae sub lapidibus frequens, mm. iunio et iulio.

Observ. Hanc speciem *Nebriae pectoralis* nomine in Museo Taurinensi atque in litteris designaveram: cum vero nonnulla eiusdem specimina Comiti Dejeanio misissem, Vir clarissimus aliam iam extare Nebriam itidem nuncupatam monens inventoris nomine distinctam remuntiavit.

DESCR. *Nebriae Schrebersii* Dahlii colore aliquantum affinis, sed statura minore, thoracis forma longe alia, abdomineque testaceo abunde distincta. — Color in speciminibus nuper exclusis flavescens vel dilute ferrugineus, in reliquis rufo-brunneus, elytris obscurioribus. Caput glabrum, inter antennis bifoveolatum, vertice paullisper et transversim depresso. Thorax brevis, glaber, in medio sulcatus, postice confertim

punctatus, lateribus late marginatis, margine elevato, reflexo, ante medium valde dilatatus, postice truncatus, valde constrictus, angulis rectis: disco in perfectissimis individuis nigrescente. Coleoptra anguste ovata, thoracis basi duplo latiora, apice leniter sinuata, subangustata, supra depressiuscula, punctato-striata, interstitio tertio punctis quatuor vix conspicuis impressis. Corpus subtus cum pedibus dilute ferrugineum, vel testaceum, mesothorace et metathorace nigris, nitidissimis.

V.

NOTIOPHILUS *marginatus*, Nov.

Tab. II, fig. 1.

Supra aeneus, nitidus; fronte profunde striata; elytris cyaneis, punctato-striatis, bifoveolatis, plaga suturali nitidissima; marginibus extimo et apicali late flavescens.

Longit. $2\frac{1}{4}$ lin. — Latit. $\frac{3}{4}$ lin.

Semel lectus prope rivulum in montibus *di Corruboi*, m. iunio.

DESCR. *Notiophilo biguttato* Fabr. minor. — Caput cupreo-aeneum, fronte inter oculos profunde et longitudinaliter striata. Antennae nigrae, inferius testaceae. Thorax aeneo-virescens, cupreo perfusus, punctatissimus, antrorsum in medio productus, acuminatus, longitudinaliter obsolete impressus, postice angustatus, utrinque subfoveolatus, angulis rectis. Elytra cyanea, nitidissima; iuxta suturam stria integra punctata; dein spatium latum, laevissimum, politum; superficies reliqua exterior regulariter punctato-striata, vitta flavescens ab angulo humerali ad apicem producta, ibique valde dilatata: paullo ante medium disci foveola magna impressa, altera autem minor prope apicem. Corpus infra nigro-aeneum, nitidum. Pedes nigro-aenei tibiis testaceis.

Species haec vitta elytrorum flavescens a congeneribus hucusque cognitis adeo et tam perspicue differt, ut vix fusa descriptione indigeat.

VI.

CHLAENIUS *auricollis*, DAHL.

Tab. I, fig. 5.

Capite viridi-aeneo, nitido; thorace concolore vel cupreo nitente, glabro, parce punctato, punctis in series longitudinales digestis; elytris viridi vel cupreo-aeneis, pubescentibus, striatis, striis subtilissime granulatis, margine flavo; antennis pedibusque dilute testaceis, geniculis tarsisque fuscis.

Longit. $6\frac{1}{2}$ - 7 lin. — Latit. $2\frac{3}{4}$ - 3 lin.

Secus amnes et paludes in Sardinia praesertim australi et media, toto anno, vulgatissimus.

DESCR. *Chlaenio festivo*, Fabr. valde affinis, sed suadente innumerorum speciminum inspectione ad propriam et distinctam speciem referendus. — Color capitis constanter viridi-aeneus, nitidus, nunquam vero, ut in *Chlaenio festivo*, cupreus vel cupreo-perfusus. Antennae testaceae. Thorax capiti interdum concolor, saepius cupreo-perfusus, parcissime rugulosus, sub lente subtilissime et confertim punctulatus, punctorumque maiorum seriebus sex vel octo longitudinalibus, fere regularibus, impressus. Scutellum aeneum. Elytra viridi vel cupreo-aenea, pubescentia, striata, interstitiis subtilissime granulatis, margine flavo postice paullo latiore. Corpus infra nigrum, nitidum, abdomine penitus concolore, nec flavo aut testaceo-marginato. Pedes dilute testacei, geniculis tarsisque infuscatis.

VII.

AGELAEA, NOB.

Novum genus e Feroniarum tribu.

Characteres essentialcs.

Tarsorum anticorum articuli tres primi in mare dilatati, cordiformes.

Palpi elongati; *maxillares externi* articulo 2.^o crasso, incurvo; 3.^o obconico, 4.^o fusiformi, acuto, vix truncato; *labiales* articulo ultimo subulato.

Antennae filiformes, corporis dimidio longiores, articulo 1.^o incrassato, mediocri; 2.^o brevi; 3.^o omnium longiore.

Labium prominulum, quadratum, antice recta truncatum.

Mandibulae porrectae, trigonae, parum arcuatae, acutae.

Mentum emarginatum, dente medio acutissimo.

DESCR. Caput elongatum, fere rhomboidale, oculis parvis, deplanatis, neutiquam promiulis, crista seu carinula superooculari angustissima, parum elevata, vix conspicua. Antennae corporis dimidio longiores, articulo 1.^o incrassato, cylindrico, mediocri; 2.^o brevi; tertio omnium longiore. Labium prominulum, quadratum, antice transverse et omnino recta truncatum. Mandibulae porrectae, trigonae, parum arcuatae, acutae, latere interno vix crenulatae. Maxillae elongatae, acutissimae, intus pectinatae. Palpi maxillares externi valde elongati, articulo secundo magno, crasso, depresso, incurvo: 3.^o obconico, tereti, sequenti parum brevior; 4.^o fusiformi, acuto, apice vix sensim truncato: maxillares interni et labiales articulo ultimo fusiformi, subulato. Mentum late emarginatum, dente medio producto, acutissimo. Thorax valde elongatus, convexus, antice posticeque recta truncatus, lateribus marginatis, pone medium angustatus. Coleoptra oblongo-ovata, capite thoraceque latiora, convexa: alae nullae. Pedes validiusculi, elongati, tibiis anticis latere interno profunde excisis. Tarsi infra valde setosi: posteriorum articuli elongati, subcylindrici; intermediorum breviusculi, obconici; anteriorum in utroque sexu obcordati, in mare

dilatati, 1.° reliquis crassiore, 2.° et 3.° transversis. Ungues longiuseculi, graciles, nentiquam serrati.

Nomen ab Ἀγλαῖος - *gregarius*.

Observ. Quoad habitum genus hoc generi *Stomis* Clairv. quam proxime accedit: ab eo tamen differt antennarum articulo 3.° omnium longissimo; palporum maxillarium et labialium articulo ultimo subulato, oculis planis, etc.

Locus in methodo inter *Cephalotides* et *Stomides*.

AGELAEA *fulva*, NOB.

Tab. II, fig. 2.

Fulva, *elytris striatis*.

Longit. $3\frac{1}{4}$ - $3\frac{1}{2}$ lin. — Latit. 1 lin.

Frequens hoc insectum et saepe gregarium occurrit in arborum truncis marcescentibus, secus rivulos, in editioribus *del Genargentu*, mm. iunio et iulio.

DESCR. Caput glabrum, inter antennis bifoveolatum. Thorax in medio sulcatus, linea semicirculari antice impressus, postice obsolete transversim impressus, angulis obtusis, subrotundatis. Elytra striata, interstitiis glabris, margine laterali seriatim foveolato. Color ubique fulvus, oculis nigris.

VIII.

ANISODACTYLUS *vireus*, DEJ.

DEJEAN, *Spéc. gén. des Coléopt.* T. IV. pag. 135. n.° 2. — Eiusd. *Iconographie des Coléopt.* T. IV. pag. 67. tab. 176. fig. 2.

De hac specie, quamvis nec nova, nec in Europa meridionali rara, mentionem obiter facere opportunum existimo, ut, quo egregie et constanter a congeneribus differt, character innotescat. Clarissimus Dejean qui primum hoc insectum descripsit, colore tantum et thoracis forma

distinxit: sed color, teste ipso clarissimo Auctore, saepissime ludit nunc viridi-aeneus, nunc obscurus, alias cupreus; thoracis autem forma, angulis scilicet posticis rotundatis, fere eadem in plerisque Anisodactylis recurrit. Firmissimam et longe meliorem notam ad hanc speciem dignoscendam suppeditat spina apicalis interna tiliarum anticarum, quae, simplex in reliquis, lata et evidenter tricuspis in hoc Anisodactylo conspicitur.

Frequens occurrit cum *Anisod. heroe* et *binotato* in locis uliginosis et secus paludes totius Sardiniae, primovere et aestate.

IX.

ACMAEODERA *Boryi*, BRULLÉ.

Confer Fascic. I.^{um}, num. 11.

Acmaeoderam Sardoam, quam eandem cum *Acmaeodera Boryi* cl. Brullé esse existimavi, propriam et distinctam speciem constituere, comparationis opportunitate habita, cl. Spinola litteris significavit. Nominine ergo *Acmaeoderae Prunneri*, quo primitus designaveram, restituito, speciei nostrae diagnosis et descriptio haec erunt:

ACMAEODERA *Prunneri*, NOB.

Tab. I, fig. 6.

Elongata, convexa, nigro-aenea, pubescens; elytris sub-coeruleis, profunde punctato-striatis, interstitiis punctato-rugosis.

Longit. $3 \frac{1}{2}$ lin. — Latit. $1 \frac{1}{5}$ lin.

Circa Iglesias primum, dein in agro Karalitano inventa.

DESCR. Magnitudo et forma *Acmaeoderae 18-guttatae*, Herbst. — Corpus subtus planiusculum, supra convexum, punctatissimum, pubescens, pube rariuscula, erecta, supra nigrescente, subtus albida. Caput cum antennis et ore nigro-aeneum subnitidum. Thorax concolor, antice

posticeque truncatus, basi utrinque obsolete foveolatus, lateribus subdilatatis, rotundatis. Coleoptra subcoerulea, nitida, profunde striato-punctata, interstitiis punctatis, rugulosis, pone medium declivia, margine externo versus apicem argute serrato. Abdomen nitidum, pectore pedibusque obscurioribus.

Leonardus de Prunner, Augustanus Sycvus, gallico bello adpropinquante pedemontana inivit stipendia. Otia, quae vel praesidia vel breves induciae dabant, Insectorum studio navus impendit, Lepidopterorum in primis ordinem colens, scriptisque editis illustrans (1). In Sardiniam cum Teutonica Legione de Brempt, anno 1799, transvectus Musaeum Karalitanum, iubente CAROLO FELICE, insulae prorege, incohavit, auxit, ditavit. Obiit Karalibus anno 1830, Pro-tribunus peditum et Eques Mauritanus.

X.

ANTHAXIA *scutellaris*, Nob.

Tab. I, fig. 7.

Oblongo-ovata, depressa; thorace supra coeruleo, linea media longitudinali marginibusque viridi-aeneis; elytris rubro-cupreis, nitidissimis, macula circa scutellum triangulari viridi-aenea.

Longit. $2\frac{1}{4}$ - 3 lin. — Latit. $\frac{3}{4}$ lin.

In floribus sat frequens, aestate.

DESCR. Statura et forma *Anthaxiae nitidulae*, Fabr. — Corpus totum, abdomine excepto, creberrime rugoso-punctulatum, subtus viridi-aeneum, nitidissimum, supra viridi, coeruleo, cupreoque varium. Caput in foeminis nigro-coerulescens, lincola media verticali viridi-aenea, in maribus viridi-aeneum. Thorax supra parum convexus, pone medium utrinque obsolete foveolatus, coeruleus, linea media longitudinali, margine antico lateribusque viridi-aeneis. Scutellum parvum,

(1) Lepidoptera Pedemontana illustrata. Augustae Taurinorum, apud Guaita, 1798.

Delle Larve d'Europa finora descritte dagli Autori di Storia Naturale coll' indice delle piante di cui si nodriscono. Torino, 1793, dalla Stamperia di Onorato Derossi.

subtriangulare, obscure aeneum. Coleoptra parum convexa, rubro-cuprea, nitidissima, macula magna circa scutellum triangulari, viridi-aenea. Pedes obscure viridi-aenei: femora crassiuscula: tibiae *foeminarum* subrectae, simplices; *marium*, exceptis intermediis, valde arenatae, anticis intus minutissime denticulatis, posticis dente parvo, obtuso, prope apicem instructis.

Anthaxia Passerinii, quam solertissimus Pecchioli in Hetruria nuper detexit, quanque egomet in Sardinia, superiori aestate, bis obviam habui, Anthaxiae huic nostrae equidem accedit colore elytrorum rubro-cupreo, maculaque circa scutellum viridi-aenea; sed abunde differt 1.º statura maiore et latiore; 2.º thorace viridi-aeneo vittis duabus coeruleis; 3.º elytrorum margine laterali tenuissime viridi aeneo. An conveniat vel differat femorum quoque tibiatarumque structura, me latet, quot enim specimina huius insecti in collectione mea extant tum e Sardinia relata, tum ex Hetruria accepta, tot faeminas esse videntur, ideoque dubiis illis dirimendis vix apta.

XI.

ANTHAXIA *ferulae*, NOB.

Tab. I, fig. 8.

Oblongo-ovata, depressa, aeneo-viridis, nitidissima; thorace utrinque cupreo-aurato vittis duabus coeruleis.

Longit. 2 - 2½ lin. — Latit. ⅔ - 1 lin.

In cycladiis *Ferulae vulgaris* frequentissima et gregaria, ineunte aestate. — Lucem vel aërem abhorrere haec species videtur, nunquam enim contigit eam alibi vel aliter, quam in foliis illis convolutis absconditam, invenire.

DESCR. Praecedenti ut plurimum minor. — Caput in maribus viridi-aeneum, in faeminis cupreo-auratum, confertissime punctatum, fronte saepius excavata. Antennae viridi-aeneae. Thorax parum convexus utrinque longitudinaliter obsolete impressus, glaber, viridi-aeneus in maribus, saepissime cupreo-auratus in faeminis, vittis duabus coerule-

scitentibus in dorso, marginibusque externis late cupreo-auratis. Scutellum viridi-aeneum, triangulare, apice obtuso. Coleoptra thorace vix latiora, secus basim transverse impressa, pone medium angustata, planiuscula, glabra, margine laterali punctato, viridi-aenea. Corpus infra viridi-aeneum, nitidissimum, pedibus concoloribus, in utroque sexu simplicibus, tibiis subrectis.

XII.

TRACHYS *reflexa*, NOB.

Tab. II, fig. 3.

Obscure-aenea, nitida; elytris fasciis undatis albido-pilosis, callo humerali magno, elevato, reflexo.

Longit. $1\frac{1}{2}$ lin. — Latit. 1 lin.

Frequens in Sardiniae montosae salicibus, quorum folia depascitur: aestate.

DESCR. Species a congeneribus forma omnino insolita discedens. Corpus totum obscure-aeneum, nitidum, postice deplanatum, attenuatum. Caput parce punctatum, fronte late et profunde excavata. Thorax brevissimus, transversus, antice angustior, lateribus argute marginatis, postice valde sinuatus, lobo intermedio productioni, acuminato; supra modice convexus, inaequalis, parce in disco confertim secus margines punctatum. Scutellum punctiforme. Elytra thorace vix latiora, versus apicem sensim angustata, fere triangularia, basi transverse gibbosa, humeris valde dilatatis, erectis, reflexis, auriformibus, vage et late punctata, pone medium secus margines extimos callosa, fasciisque angustis undulatis e pilis rigidis depressis albidis variegata. Pedes graciles corpori concolores.

XIII.CANTHARIS *Genei*, DEJEAN in litt.

Tab. I, fig. 9.

Nigro-fusca, pubescens; capite antice, thorace supra, abdomineque testaceis.

Longit. 4 - 4½ lin. — Latit. 1 - 1¼ lin.

In Sardinia montosa sat frequens, ineunte aestate.

DESCR. *Canth. praecoce* Nob. maior. Corpus totum tenue pubescens. Caput crebre punctatum, nigro-fuscum, nitidum, antice seu ab antennarum insertione testaceum, antennis palpisque nigris. Thorax supra convexus, inaequalis, anterius declivis, late marginatus, margine omni reflexo, angulis anticis rotundatis, posticis obtusissimis, rufus, immaculatus. Scutellum nigrum, triangulare. Elytra elongata, thorace paullulum latiora, parum convexa, nigro-fusca, creberrime ruguloso-punctata, margine laterali basi tenuissime testacco. Alae nigro-fuscae. Truncus infra nigro-fuscum, abdomine penitus testaceo. Pedes nigri femoribus basi unguisque testaceis.

Observ. Mas differt a faemina statura aliquantum minore, antennis longioribus oculisque magis prominulis.

XIV.CANTHARIS *inculta*, NOB.

Tab. I, fig. 10.

Testacea, elytris stramineis; antennis, pectore, tibiis tarsisque nigris.

Longit. 4 - 4½ lin. — Latit. 1 - 1¼ lin.

In montibus, aestate, frequens.

DESCR. Magnitudo et forma *Cantharidis Genei*. — Corpus totum tenuissime pubescens. Caput crebre et laeviter punctulatum, nitidum,

testaceum, pone oculos ut plurimum nigrescens. Antennae nigrae, articulo primo saepe, interdum etiam sequentibus tribus, subtus testaceis. Thorax ut in *Canth. Genci*, testaceus, nitidus, immaculatus. Scutellum fuscum, triangulare. Elytra elongata, thorace paululum latiora, parum convexa, straminea, creberrime ruguloso-punctata, pone medium interdum nonnihil infuscata. Alae nigro-fuscae. Corpus infra testaceum, mesothorace et metathorace nigris, nitidis. Pedes testacei, genibus, tibiis tarsisque nigris, unguiculis rufis.

Observ. In nonnullis individuis, forsitan nuper exclusis, pectus testaceum est. — Differentiae sexuales eadem ac in *Canth. Genci*.

XV.

CANTHARIS *chlorotica*, NOB.

Tab. I, fig. 11.

Luteo-rufa, nitida, elytris stramineis; antennis, palpis, elytrorum summo apice, pectore, tibiis tarsisque fuscis; thorace postice angulato, angulis obtusis. ♂♀.

Longit. 4 lin. — Latit. $\frac{1}{4}$ lin.

Ubique locorum, sed praesertim in montanis, obvia primovere et ineunte aestate.

DESCR. Magnitudine et facie *Cantharidi melanurae* proxime accedens. — Caput thorace angustius, luteo-rufum, nitidum, punctulatum, fronte inter oculos bifoveolata. Palpi obscure fuscii: oculi globosi, nigri, *maris* magis prominuli. Antennae corpore parum breviores, omnino nigricantes. Thorax antice rotundatus, postice truncatus, angulis obtusis, undique tenne marginatus, disco fere plano in *saemina*, postice elevato in *mare*, in medio obsolete impressus, punctulatus, rufo-luteus, nitidus. Scutellum triangulare, obtusum, stramineum. Coleoptera thoracis basi vix latiora, valde elongata, crebre rugoso-punctata, straminea, summo apice infuscato. Alae nigricantes. Corpus subtus luteo-rufum, pectore nigro, nitido. Pedes nigro-fusci, femoribus basi rufescentibus.

Observ. Coloris differentia in sexibus nulla.

XVI.DASYTES *cinctus*, NOB.

Tab. II, fig. 4.

*Niger, nitidus pubescens; elytrorum vitta submarginali tibiisque testaceis.*Longit. $1 \frac{1}{4}$ lin. — Latit. $\frac{1}{2}$ lin.In herbidis haud rarus *alla Scaffa* prope Karales, ineunte iulio.

DESCR. *Dasyt. haemorrhoidali* affinis, sed longe minor et aliter pictus. — Corpus supra nigro-subaeneum, nitidum, crebre punctulatum, pubescens, pube longiuscula, nigra. Caput deflexum, planiusculum, crebre punctatum, antennis concoloribus, subserratis, thoracis basim vix attingentibus, a basi ad apicem sensim crassioribus. Thorax convexus, crebre et profundius punctatus, lateribus rotundatis. Scutellum nigrum. Coleoptera thorace vix latiora, convexa, confertim sed subtilissime punctulata, vitta utrinque submarginali, lata, ab angulo humerali ad apicem producta, rufo-testacea. Corpus infra nigrum, nitidum, subtilissime punctulatum, parcius pubescens, tibiis, summo apice excepto, testaceis. Tarsi testacei nigro-maculati.

XVII.DASYTES *flavescens*, NOB.

Tab. II, fig. 5.

*Elongato-ovatus, pubescens, sordide flavus, oculis, pectore abdomineque nigris.*Longit. $1 \frac{1}{2}$ lin. — Latit. $\frac{1}{2}$ lin.

Semel lectus in herbidis prope Mandas, exeunte iunio.

DESCR. Species forma et colore a reliquis congeneribus, Europae incolis, facillime distinguenda. — Corpus fere lineare, depressum, pubescens, minutissime ruguloso-punctatum. Caput declive, antice rotun-

datum, sordide flavum, palpis, oculis maculaque occipitali nigris. Antennae thoracis basim vix superantes, subserratae, articulis brevibus, a basi ad apicem sensim crassioribus, flavae, apice infuscato. Thorax capite paullulum latior, convexiusculus, utrinque leniter rotundatus, sordide flavus. Scutellum nigrum. Coleoptra thorace vix latiora sed triplo longiora, evidentius punctulata, punctis confertissimis, inordinatis, dilutius flava. Corpus infra mesothorace, metathorace abdomineque nigris, segmento ultimo supra sordide flavo. Pedes omnino flavi.

XVIII.

NECROPHORUS *funereus*, NOB.

Tab. I; fig. 12 ♂; fig. 13 ♀.

Niger, nitidus; clytris fascia ante medium, macula reniformi apicis, margineque inflexo inter fusciam et maculam ferrugineis; antennarum clava ferruginea.

Longit. $9\frac{1}{4}$ lin. — Latit. $3\frac{2}{3}$ lin.

In Sardiniae montosis sub cadaveribus sat frequens, m. iunio.

DESCR. *Necrophoro maritimo* Eschscholtzii, cuius patria America borealis occidentalis, summopere affinis. — Capitis forma et color ut in *Necrophoro vespillone* Fabricii, macula tamen clypei omnino nulla in *faemina*. Articuli tres ultimi clavae antennarum ferrugini. Thoracis structura eadem ac in specie nunc memorata, marginibus dumtaxat in *mare* latioribus et magis explanatis, quam in *faemina*. Scutellum magnum, triangulare, valde obtusum, nigrum, subtilissime et confertim punctatum. Elytra crebre punctulata, nigra, fascia ante medium maculaque reniformi apicis a margine laterali versus suturam paullulum oblique adscendentibus, ferrugineis: fascia in *mare* interrupta, videlicet macularis, sensim ab initio attenuata et usque ad scutelli apicem fere producta; in *faemina* latiuscula, continua, undulato-dentata, a sutura longius remota: macula apicis transversa, a sutura itidem discreta, reniformis, antice bisinuata, postice sinuato-angulata, sinu sive angulo recto: clytrorum margo inflexus basi niger, inter fasciam et maculam

apicalem ferrugineus. Corpus infra nigrum, nitidum, metathorace dense flavo-aureo-villoso. Pedes nigri, validi, condylis femorum posteriorum brevibus, apice emarginatis; tibiis rectis.

Observ. *Necrophorus maritimus* Eschscholtzii, cuius specimen faemineum a clarissimo Faldermann missum in Musaeo Taurinensi adservatur, differt a faemina huius nostri clypeo macula parva testacea notato; thorace angustiore angulis anticis rotundatis; fascia elytrorum maculari sensimque attenuata ut in *mare* speciei nostrae; macula apicali transversa magis angusta et elongata; margine demum inflexo elytrorum ab humeris usque ad apicem, idest per totam longitudinem, ferrugineo.

XIX.

ATTAGENUS *fallax*, NOB.

Tab. II, fig. 6.

Ovatus, niger, thoracis basi albo-notata; maculis in singulo elytro duabus didymis, rufis, pube alba obtectis.

Longit. $1\frac{2}{3}$ lin. — Latit. 1 lin.

Sub arborum cortice hyeme, in floribus primovere et aestate frequens.

DESCR. Corpus ovatum, parum convexum, confertissime et subtilissime punctatum, tenue pubescens. Caput parvum, deflexum, nigrum, tuberculo frontali solitario, nitidissimo, ocelliformi. Antennae nigrae. Thorax brevis, antice emarginatus, postice duplo latior, sinuatus, trilobus, supra convexus, niger, margine posteriori 4-maculato, maculis parvis, albo-villosis, internis evidentioribus. Scutellum albo-villosum. Coleoptera modice convexa, nigra, maculis in singulo elytro duabus didymis seu geminatis, quarum prima obliqua, humero proxima, altera subtransversa, ultra medium disci posita, rufis, pube densa, alba obtectis. Pedes nigri, tarsis rufescentibus.

Observ. Color rufus macularum elytrorum in integerrimis individuis a pube alba tegitur, in detritis munde emicat.

XX.

ATTAGENUS *maritimus*, NOB.

Tab. II, fig. 7.

Breviter ovatus, valde convexus, brunneus, dense cinereo-pubescentis, antennis pedibusque testaceis, tibiis latis, extus serratis.

Longit. $1 \frac{1}{4}$ lin. — Latit. $\frac{2}{3}$ lin.

In herbis *alla Scaffa* prope Karales, m. julio.

DESCR. Animalculum singulare, ad proprium et distinctum genus forte referendum. — Corpus breviter ovatum, valde convexus, *Byrrhum* referens, brunneum, sed pilis brevibus, prostratis, confertissimis, cinereo-argenteis supra et infra obtectum. Caput parvum, deflexum, planum, tuberculo frontali solitario, ocelliformi, nitidissimo (1); palpis rufis. Antennae testaceae, clava interdum fusca. Thorax brevis, transversus, convexus, antice emarginatus, postice latior, sinuatus, lobo praescutellari valde producto, acuto. Scutellum minutum, fere inconspicuum. Elytra antice oblique truncata, valde convexa, in individuis derasis dilute brunnea. Pedes testacei, femoribus tibiisque breviusculis, compressis, dilatatis, harum latere externo conferte spinoso, serrato, tarsis tibiis longioribus, gracilibus.

(1) In *Attagenis*, in *Trogodermatis*, in *Anthrenis* constanter recurrit tuberculum seu punctum hoc ocelliforme, de quo, si bene memini, silent Auctores.

XXI.

HISTER *pustulosus*, NOB.

Tab. I, fig. 14.

Niger, nitidus; thorace antice subangustato, stria laterali sesquialtera; elytris tri-striatis, macula humerali alteraque subapicali rotundis, rubris.

Variat elytrorum stria interna obsoletissima.

Longit. $3\frac{1}{2}$ -4 lin. — Latit. $2\frac{1}{3}$ - $2\frac{1}{2}$ lin.

In stercore bubulo et equino Sardiniae borealis et mediae non frequens, primovere et aestate.

DESCR. Statura et magnitudine *Hist. 4-notati*, ПАУК., sed paullo angustior. — Caput parvum, deflexum, fronte plana, linea semicirculari impressa, antice interrupta. Antennae nigrae, articulo 2.^o et 3.^o rufis. Thorax niger, nitidus, convexus, laevis, antice in *mare* late et profunde emarginatus, postice truncatus, lateribus subrotundatis, lineis duabus utrinque impressis, exteriori tenui, abbreviata, medium non attingente, interiori profunda, fere ad basim producta. Elytra nigra, nitida, subconvexa, tri-striata, striis integris, interna saepe obsoletissima: in medio singuli elytri maculae duo rotundae, rubrae, una prope basim, altera prope apicem. Pedes nigri, tibiis anticis tri-dentatis, dentibus simplicibus, obtusis in *mare*, acutissimis in *saemina*: tarsi duo antici rufi.

XXII.

GEOTRUPES *geminatus*, DEJ.

Tab. I, fig. 15.

Niger, subnitidus; thorace vage punctato, inermi; elytris punctato-striatis, striis per paria approximatis.

Longit. $5\frac{1}{2}$ -7 lin. — Latit. $3\frac{1}{2}$ - $4\frac{1}{2}$ lin.

In editioribus montis *Genargentu* vulgatissimus mm. iunio et julio: alibi rarus.

DESCR. Species a congeneribus egregie distincta et primo intuitu facile dignoscenda elytrorum striis per paria approximatis. Magnitudo et statura *Geotr. laevigato* quam proxime accedens. Corpus totum nigrum, subnitidum. Caput planum, crebre punctatum, punctis latis saepe confluentibus, tuberculo medio obsoletissimo, interdum nullo. Thorax utrinque rotundatus, antice in medio paullisper retusus, postice interdum obsolete canaliculatus, vage punctatus, punctis huc illuc, et praesertim versus latera, maioribus. Scutellum triangulare, aequilaterum, parce punctulatum. Elytra anguste marginata, marginibus reflexis, transversim sed parce rugulosa, punctato-striata, striis per paria approximatis, interstitiis latis, planis, impunctatis.

XXIII.

ELAPHOCERA *obscura*, NOB.

Confer Fascic. I. n.º 29.

Monuerunt nonnulli Entomologi genus nostrum *Elaphocera* idem omnino esse ac genus *Leptopus* clarissimi Dejeanii, speciemque nostram sardoam *Melolonthae denticorni* Duf., idest *Leptopo denticorni* Dej., respondere. — De priori synonymia, scilicet de generum identitate, nihil est in praesens quod dubitem: cum vero nomen *Leptopus* ad aliud genus designandum in Cimicidum familia iampridem usurpaverit cl. Dufour, ita nostrum esse conservandum unicuique facile patebit, non itidem omnino sentio quoad synonymiam specificam, de qua nihil certi ernere valuisse ingenue fateor, speciem enim Dufourianam, quam ineditam nec nisi nomine evulgatam reor, nondum comparare vel saltem inspicere mihi licuit. Fidem utique Viris perillustribus, qui harum specierum identitatem nuntiant, habere vellem, sed eorum sententia, ni fallor, nominis tantum convenientiae innititur, quae an certissimum synonymiae argumentum constituere possit vehementer dubitabunt qui permultas et prope dicam innumeras differentiarum sedes et rationes in Insectorum classe meminerint.

Sed quoquo modo se res habeat, de genere *Elaphocera* a me condito et de specie sardoae eodem relata nonnulla et quidem momentosa hic sunt dicenda quae tertium seu novissimum per insulam iter et

hispanica quaedam species a me nuper accepta docuerunt. Characteres in primis, quibus genus superstruitur, emendandi sunt tum quoad sexuum differentias, tum quoad vitae rationem. Perperam et insolita hallucinatione deceptus antennas in utroque sexu spina ab articulo tertio prominenti instructas dixi. Specimen, quod faeminem ratus prae oculis tunc temporis habebam, marem esse monstruosum, clava nempe antennarum abbreviata abdomineque valde inflato, serius animadverti. Faemina genuina, superiori tantum aestate a me inventa, a mare multo magis, quam fas erat coniectare, discrepat, caret enim spina antennali et alis, tibiae praesertim posticas crassissimas habet, tarsisque instruitur tibiae longitudine vix aequantibus. Spinam igitur antennarum, cum alterius dumtaxat sexus propria sit, inter essentielles generis characteres non amplius esse recensendam satis liquet. Sed nova atque, ut ita dicam, decretoria accedit ratio, qua character memoratus a diagnosi generica omnino expungendus sit. Mas speciei hispanicae, quam a cl. Dufourio *Melolontham Bedeau* nuncupatam *Leptopis* adnumerat clariss. Dejean, spina antennali penitus caret, uti id videre est in specimine a cl. Maximiliano Spinola mihi nuperrime misso. Quae cum ita sint, spina antennali ad characteres tantummodo específicos amandata, genus reliquis notis innixum supererit, inter quas praestant numerus et forma articulorum funiculi antennarum et structura palporum maxillarum.

Nunc operae pretium est nonnulla de speciei moribus edisserere. — Faemina *Elaphocerae obscurae*, more faeminarum Cebriionum, vitam subterraneam degit, cuniculos inhabitans vi propria effossos, quibus ne nuptiarum quidem tempore egreditur: qua in re non satis unquam miranda elucet Divini Auctoris sapientia, qui tibiis, ut supra memoravi, crassissimis ideoque ad fodendam terram apprime idoneis animalculum donavit. Summum interea est marium negotium faeminas sic absconditas quaeritare et inventas procare. Mense iunio, vespertino diluculo accedente, in aridioribus Sardiniae plagis ingens marium multitudo e latibus, quibus diem peregerunt, ad auras evadit. Venere excitam terram hinc inde incerto et praepeti volatu radunt, et si demum olfactu, visu, vel alio quovis sensu moniti faeminae habitaculum nacti sunt, illuc praecipites ruunt. Tunc strenuum oritur et spectatu dignum certamen: cum enim plures eodem tempore undequaque superveniant mares, cuniculi autem ostium et interior capacitas uno dumtaxat, nec pluribus simul, aditum permittant, tota illic coacervatur amasiorum

turba magna que fit contentio ut quisque aemulos retrudat ostioque potiatnr. Quo ab uno tandem vel vi vel ingenio consecuto, copula initur, quae usque ad sequentem diem producitnr. — Cetera, quae ad historiam huius speciei pertinent, ignoro, sed certissimum prope est faeminam ova in ipso cuniculo parere larvasque ex illis proditas, Rhisotrogorum more, plantarum radicibus vesci.

XXIV.

CETONIA *Sardoa*, DAHL.

Tab. I, fig. 18.

Nigra, nitida, saepissime subcoerulea vel obscure virescens, breviter ovata, subconvexa; elytris immaculatis confertissime striato-punctatis, interstitiis nonnullis subelevatis.

Longit. 8 lin. — Latit. 5 lin.

GORY et PERCHERON, *Monogr. des Cétoines*, pag. 59 et 216.
pl. 40. fig. 3.

In plerisque Compositis cynarocephalis atque in umbellatis frequens, aestate.

DESCR. Species in hoc genere distinctissima. Corpus breviter ovatum, convexiusculum, nigrum, saepissime subcoeruleum, interdum obscure virescens, nitidum, unicolor, strigis vel punctis albis omnino carens. — Caput crebre et late punctatum, planum, quadratum, clypeo antice marginato, sursum reflexo, emarginato, antennis palpisque piceis. Thorax antice valde angustatus, lateribus in medio subdilato-rotundatis, tenuissime marginatis, postice sinuatus, ante scutellum emarginatus, disco crebre et vage punctato, punctis versus basin et ad latera numerosioribus, lineaque longitudinali subobsoleta elevata. Scutellum triangulare, acutum, glabrum. Laminae cuneiformes (*Epimères*, Auv.) punctis lineolisque profundis impressae. Coleoptra thoracis basi latiora, a basi ad apicem sensim angustata, convexiuscula, interstitiis nonnullis obsoletissime elevatis, glabris, sutura humerisque laevibus, parce pun-

ctulatis, alibi confertissime et vage striato-punctata, fossula prope suturam nullam. Pygidium crebre rugulosum, marginatum. Corpus infra nitidum, parce villosum, metasterno laevi, canaliculato, lateribus confertim strigoso-punctatis. Pedes punctati, femoribus latis, subtus marginatis pubeque densa flavescente ciliatis.

XXV.

CETONIA carthami, DAHL.

Tab. I, fig. 17.

Laete viridi-aenea, vel coerulea; thorace punctis duobus, elytris strigis plurimis transversis albis; sutura costisque duabus postice confluentibus, elevatis.

Longit. 7 - 7½ lin. — Latit. 4 - 4¼ lin.

GORY et PERCHERON, *Monographie des Cétoines*, pag. 61 et 243. pl. 46. fig. 1.

Cum praecedenti ubique vulgatissima, aestate.

DESCR. Hanc Cetoniam *Cet. auratae*, Fabr. varietatem credit cl. Dejean (1), sed vix rite. — Color laete viridi-aeneus, vel cupreus, vel coeruleus, nitidus. Caput et thorax ut in *Cetonia aurata*, in hoc tamen puncta duo alba in disco transversim posita. Elytra punctis et lunulis crebris impressa strigisque albidis transversis notata, sutura costisque duabus evidentissimis, supra callum apicalem confluentibus, elevatis. Pygidium albo-maculatum. Corpus infra pilosum, segmentorum abdominalium marginibus utrinque albis: pectus conferte strigoso-punctatum, metasterno laevi, canaliculato: abdomen glabrum, punctis aliquot sparsis impressum. Pedes punctati, femoribus subtus pube flavescente ciliatis.

Observ. Varietas coerulea aequae ac viridi-aenea frequens occurrit; rarius cuprea.

(1) Catalogue des Coléoptères, troisième édition, pag. 192.

XXVI.

TRICHIUS *fasciolatus*, NOB.

Confer Fascic. I. n.º 31. fig. 22. ♂.

Perperam hunc Trichium ineditum indicavi: invenusta quidem iconc, sed descriptione affabre digesta illustratus extat sub nomine *Trichii zonati* in Fasciculo XIV. n.º 3. *Faunae Insectorum Europae* clarissimi Germanii, quam serius tantum consulere potui. Nomen ergo a celeberrimo Halensi Professore iam pridem inditum, meo sublato, servandum: cum vero Vir clarissimus marem dumtaxat noverit et descripserit, nec egomet alterum sexum, nisi aestate anni 1836, Fasciculo nempe 1.º iam evulgato, observaverim, speciei diagnosim et descriptionem sequenti modo reformatas et auctas prodero consultum duco:

TRICHIUS *zonatus*, GERM.

Tab. I, fig. 16. ♀.

Niger, flavo-hirtus; thorace in faeminis depili, utrinque flavo-marginato; elytris atris, holosericeis, macula magna lunata baseos fasciaque interrupta, abbreviata ante apicem, luteis.

Longit. 5-5½ lin. — Latit. 3 lin.

Variat β. Elytrorum fasciis angustissimis, obsoletis.

Variat γ. Elytris penitus nigris.

IN floribus praesertim Cistorum et Umbellatarum Sardiniae borealis et mediae frequens m. iunio. — Larvae vita et metamorphoses in *Quercus suberis* cortice.

DESCR. Caput deflexum, nigrum, clypeo producto, quadrato, marginato, apice leviter emarginato, vertice flavo-hirto. Antennae rufae, basi apiceque nigro-piceis. Thorax oblongus basi bisinuat, antrorsum angustatus, punctatus, niger, in *mare* flavo-hirtus, unicolor, in *faemina* depilis, margine laterali flavo. Scutellum triangulare apice obtusum,

parce pilosum. Elytra atra, holosericea, subtiliter et obsolete striata, macula lunata humerum cingente, fasciaque intra medium et apicem utrinque abbreviata medioque interrupta, luteis. Pygidium albo-hirtum in *mare*, apice pilis rarioribus obsitum; flavo-hirtum in *faemina*, apice denudato, nigro. Corpus subtus nigrum, flavo-hirtum, abdomine magis denudato, segmenti penultimi basi in *mare* maculis duabus fulvo-tomentosis. Pedes nigri, tibiis extus dente obtuso armatis.

Varietas β non admodum rara: varietas γ semel tantum lecta inter *Tempio* et *Terranova* in montis declivitate dicta *la Scala*.

XXVII.

Dorcus musimon, NOB.

Confer Fascic. I. n. 32. fig. 23. ♀.

Sunt nonnullae in Insectorum classe sexus differentiae, quas nullo modo *a priori* prospicere vel coniectura assequi peritissimi etiam naturae scrutatores valent. Ubi enim analogiae praevia desunt exempla, vel ubi haec eadem exempla differentiis sexualibus in uno vel altero genere statos limites constituere videntur, insolitam naturae oeconomiam suspicari, novasque formas coniectare, otiosum esse unusquisque facile sentiet. Ab hisce sexuum differentiis non antea perspectis plures utique errores in methodum manaverunt et iugiter manant, sed huiusmodi errores excusatione digni sunt, scientiaeque potius quam Auctoribus tribuendi. — Hisce obiter sed non inconsulto memoratis, minime pudet diagnosim specificam *Dorci musimonis* in Fasciculo I.^o a me editam omnino mancam declarare. Specimen quod prope Iglesias legeram anno 1835, faemina erat, sed longissime aberam quin eam ab altero sexu toto coelo diversam animo et cogitatione effingerem, uti id serius, in secundo scilicet itinere, manifeste didici. Elytrorum elegantissima sculptura, quam uti notam praecipue specificam et egregie differentialem praebui, in faeminis quidem constantissime occurrit, sed in maribus deest. Quapropter sequentes speciei characteres, utriusque sexui accommodati, prioribus erunt suffiendi:

DORCUS *musimon*, NOB.

Tab. I, fig. 19 ♂.

Niger, nitidus, depressus; mas capite magno, transverso, inermi, antice late truncato, mandibulis capite longioribus, dente medio, elevato, superne instructis, elytris glaberrimis; faemina capite angusto, rotundato, varioloso, tuberculo frontali elevato, mandibulis brevibus obsolete dentatis, elytris confertissime et profunde striato-punctatis.

Longit. *maris* $7\frac{1}{2}$ - $13\frac{1}{2}$ lin. — Latit. 3 - 5 lin.

» *faem.* $8\frac{1}{2}$ - 11 lin. — Latit. 3 - $4\frac{1}{4}$ lin.

Singulare hoc insectum, rarum uti videtur in Sardinia australi, gregarium et numerosissimum inveni sub cortice Quercuum emortuarum in sylvis montanis Gallurae, Montis-acuti, Goceani, Ollastrae, etc., primovere et aestate.

DESCR. *maris*. — Facies *Dorci parallelepiped*i, sed magis elongatus. — Corpus totum nigrum, nitidum, laevissimum, impunctatum. Caput latitudine fere thoracis, declive, clypeo deflexo, transverso, brevissimo, lato, abrupte truncato. Mandibulae capite parum longiores, validae, acuminatae, dente unico, medio, obtuso, adscendente. Thorax transversus, latus, undique marginatus, lateribus subrectis, angulis posticis oblique truncatis. Elytra subdepressa, thorace fere angustiora, angulo humerali prominenti, acuto. Pedes validi, tibiis spinosis.

Variat interdum elytrorum basi punctato-striata: hanc vero anomalam in speciminibus minimae magnitudinis duntaxat observavi.

Quoad *faeminam* confer descriptionem in Fasciculo I.^o editam.

Observ. Species haec Uropodis (*Acarus vegetans*, De Geer.) mirifice infestatur. Sunt mihi nonnulla specimina hisce Parasitis adeo obsita ut vix dignosci queant.

TENTYRIA *monticola*, NOB.

Tab. II., fig. 8.

Nigra, nitidissima; thorace globoso, oblongiusculo, margine postico integerrimo; elytris oblongo-ovatis, a basi ad apicem seriatim-foveolatis, interstitiis elevatis.

Longit. 6 - 7 lin. — Latit. $2\frac{1}{2}$ - 3 lin.

Tentyriae omnes, quas novi, planities mari conterminas littoraque ipsa maritima inhabitant. Haec species e contra quam altissime supra maris libellam, nec alibi, occurrit. Primum reperi in cacumine montis *Spada*, cuius altitudo 1600^m circiter aequat, dein frequentissimam, ineunte iunio, in montibus qui pago *Baunei* supereminent.

DESCR. *Tentyriae Floresii*, de qua in Fasciculo I.^o, simillima, sed colore longe nitidior, statura maiore, elytrorum punctis evidentioribus, etc., diversa. — Color ubique eburneus, nitidissimus. Caput supra laeve, subtiliter punctulatum, linea superoculari elevata, basi subtus foveolatum. Thorax globosus, oblongiusculus, laevis, subtiliter punctatus, tenuissime marginatus, postice attenuatus, basi integerrima. Scutellum minutum, laeve. Elytra thorace latiora, oblongo-ovata, postice subproducta, attenuata, seriatim foveolata, foveis profundis, saepe linearibus, interstitiis elevatis. Foveolarum series, quae in *Tentyria Floresii* paullo ultra basin elytrorum incipiunt, in hac specie e baseos ipsius margine exoriuntur.

XXIX.

ASIDA *glacialis*, NOB.

Tab. I, fig. 21 ♂, fig. 22 ♀.

Oblongo-ovata, nigra, interdum lutosae; thorace punctato, basi sinuato, lobo intermedio subtruncato, angulis posticis acutis, productis; elytris costis tribus elevatis, interna brevior.

Longit. 5 - 6 lin. — Latit. $2\frac{1}{4}$ - 3 lin.

In summis iugis *del Genargentu* ad nivem deliquescentem, mm. iunio et iulio, frequens.

DESCR. Corpus supra nigrum, pulvere grisescente adpersum, rarius lutosum sive indumento argillaceo obductum. — Caput punctatissimum, punctis latis, profunde excavatis, fronte inaequali, sinuose impressa. Antennae piceae, apice dilutiori. Thorax convexus, marginatus, antice paullo angustatus, postice sinuatus, lobo intermedio lato, subtruncato, angulis acutis, sensim ultra basin productis. Elytra pone medium paullulum dilatata, depressiuscula, obsoletissime granulata, costis in singulo tribus elevatis, vix undulatis: interior a margine basilari statim prodiens vix ultra medium elytri recta extenditur; intermedia, pone humeros exorta, oblique suturam versus progreditur, abrupteque in elytrorum descensu longe a sutura evanescit; exterior, antice praecedenti adnata, margini laterali fere parallela excurrit, apicem intermediae vix sensim transgreditur, longoque a sutura itidem evanescit. Corpus subtus nigrum, subtilissime punctatum. Pedes concolores, unguibus dumtaxat rufescentibus.

Observ. Mas differt a faemina statura iugiter minore et angustiore, elytris magis depressis, lineolaque iuxta suturam utrinque elevata, obsoleta.

XXX.

ASIDA rustica, NOB.

Tab. II, fig. 1.

Oblongo-ovata, nigra, saepius lutosae; thorace punctato basi sinuato, lobo intermedio subtruncato, angulis posticis acutis, productis; elytris planiusculis, costis duabus elevatis, interna brevior.

Longit. 5 - 7 lin. — Latit. $3 \frac{1}{3}$ - $3 \frac{1}{2}$ lin.

In apricis Sardiniae borealis, et praesertim circa *Tempio*, frequens sub lapidibus, aestate.

DESCR. Caput et thorax fere eadem ac in *Asida glacialis*. Coleoptra dorso planiusculo, subtilissime granulata, costis in singulo elytro duabus, obsolete tuberculatis: interior, aequae a sutura et a margine laterali distans, a basi statim exoritur, et paullo ultra medium producitur;

extima a margine basilari disiuncta, oblique progreditur et in descensu elytrorum evanescit: inter costam anteriorem et marginem lateralem series extat tuberculorum, saepe obsoleta. Reliqua ut in specie praecedenti.

Observ. Mas differt a faemina coleoptris ut plurimum thorace angustioribus, deplauatis, lateribusque subparallelis.

XXXI.

ASIDA *Combae*, NOB.

Tab. II, fig. 10.

Oblongo-ovata, griseo-nigra; thorace punctato, basi sinuato, lobo intermedio subrotundato, angulis posticis acutis, productis; elytris planiusculis costis duabus elevatis, interna brevissima, plicaeformi.

Longit. $5 \frac{1}{4}$ - $6 \frac{1}{2}$ lin. — Latit. $2 \frac{3}{4}$ - $3 \frac{1}{4}$ lin.

In agris et viis sabulosis prope *Lanusei*, m. iunio, haud frequens.

DESCR. Magnitudo *Asidae rusticae*. Corpus totum confertissime punctulatum, nigrum, pulvere et pube grisescente, minutissima, adpersum. Caput transverse impressum, minus crebre sed profundius punctatum. Thorax convexus, marginatus, antice paullo angustatus, postice sinuatus, lobo intermedio lato, leniter rotundato, angulis acutis ut in speciebus praecedentibus. Coleoptra pone medium paullulum dilatata, planiuscula, minutissime punctata, punctis nudo oculo inconspicuis: in singulo elythro costae duo elevatae; extima ab angulo humerali exorta oblique progreditur et in descensu elytrorum, paullo ante apicem, abrupte desinit; interior, aequae a sutura et a margine laterali distans, a margine basilari prodit et illico absolvitur, vix lineae dimidium longa: inter costam anteriorem et marginem lateralem series extat tuberculorum ut in *Asida rustica*. Reliqua ut in hac specie.

Observ. Mas faemina angustior.

Franciscus Comba, in Museo Taurinensi rebus taxidermicis praepositus, me in omnibus Sardiniae itineribus secutus, et mira, qua excellit, in animalibus quaeritandis et pingendis dexteritate summopere

auxiliatus est. Comiti ergo et adiutori strenuissimo speciem hanc gratus nuncupo et dico.

XXXII.

PHILAX nivalis, NOB.

Tab. II, fig. 17.

Niger, subnitidus; capite thoraceque granulatis; elytris granulatis, obsolete striatis, interstitiis alternis elevatis.

Longit. $3\frac{3}{4}$ - $4\frac{1}{3}$ lin. — Latit. 2 lin.

Ad nivem deliquescentem *del Genargentu*, cum *Asida glaciati*, frequentissimus, aestate.

DESCR. Facies *Opatri*, characteres attamen *Philacis*, teste clariss. Solier. — Caput breve, subtransversum, lateribus sinuatis, antice profunde incisum, granulatum, fronte transverse impressa: labrum emarginatum, absconditum. Antennae obscure piceae. Thorax coleoptris interdum latior, utrinque rotundato-marginatus, basi subsinuatus, angulis posticis rectis, dorso convexiusculo, subinaequali, crebre et concinne granulatus. Scutellum parvum, transversum, granulatum. Coleoptra vage et parcius granulata, obsolete striata, costis tribus in singulo elytro, idest interstitiis alternis elevatis. Corpus infra granulatum: pedes spinulosi, tibiis anticis apice dilatatis, unguibus omnibus rufis.

Observ. Hoc insectum nive evanescente mori videtur, in montibus enim, vel in eiusdem montis partibus nive nuperrime exoneratis, frequentissimum quidem, sed sub lapidibus exsiccatum reperitur.

XXXIII.

CHEIRODES *sardous*, NOB.

Tab. II, fig. 12.

Oblongo-ovatus, convexus, niger, vage punctatus; clypeo profunde emarginato; antennis, palpis tarsisque rufis.

Longit. $2\frac{1}{2}$ lin. — Latit. $1\frac{1}{5}$ lin.

In locis aridis et sabulosis prope *Tortoli* frequens, m. maio.

DESCR. In hoc genere a cl. Dejean in *Heteromerorum Taxicornium* familia condito (1) tres tantum numerantur species, omnes adhuc ineditae, una scilicet ex Senegal (*Ch. scarabacoides*, Dej.), altera ex Ægypto (*Ch. emarginatus*, eiusd.), tertia ex Hispania (*Ch. opatroides*, eiusd.). Ab iis singillatim differre animalculum nostrum recentissimis litteris monuit cl. Aubé, qui in *Collectione Dejeaniana* specimina a nobis missa attenta comparatione lustravit. — Facies *Aphodii elevati*, Fabr. Corpus oblongo-ovatum, supra valde convexum, piceo-nigrum, nitidum, capite, thorace elytrisque crebre et vage punctatis. Caput declive marginatum, margine rotundato, reflexo, clypeo late in medio et profunde exciso, antennis apice crassioribus palpisque dilute rufis. Thorax capite latior, transversus, utrinque rotundatus, pilis rufis ciliatus, postice subangustatus. Scutellum triangulare, glabrum. Coleoptra thoracis latitudine, tenuissime marginata, striis omnino nullis. Abdomen infra parce punctulatum. Pedes picei, intus rufo-ciliati, tibiis valde compressis, a basi ad apicem extrorsum dilatatis; anticis latioribus, 5-dentatis, denticulis 3 primis minutissimis, oculo armato solummodo conspiciendis, 4.º magno, 5.º maximo, obtuso; reliquis, intermediis nempe et posticis, extus late et profunde excisis. Tarsi dilute rufi.

(1) Confer Dejean, *Catalogue des Coléoptères*, troisième édit. pag. 215.

XXXIV.

HELOPS *Genet*, DEJ. in litt.

Tab. I, fig. 20.

Depressus, nigro-subaeneus, nitidus; capite thoraceque conferte punctatis; elytris striato-punctatis, interstitiis planis, vix sensim punctulatis.

Longit. 3 - 4 $\frac{1}{2}$ lin. — Latit. 1 $\frac{1}{3}$ - 2 lin.

Sub arborum cortice in Sardinia boreali et media sat frequens vere et aestate.

DESCR. Species *Helopi caraboidi* subsimilis, sed ab illo et a reliquis congeneribus, quos novi, discedens corpore depresso, parum convexo, Tenchbrionem potius quam Helopem primo intuitu referente. — Color supra et infra nigro-subaeneus, nitidus. Caput confertissime et concinne punctatum, fronte inter antennis transverse impressa. Antennae et palpi piceo-rufescentes. Thorax capite latior, brevis, transversus, antice truncatus, postice subsinuatus, utrinque anguste marginatus, angulis posticis subrectis, punctatissimus, punctura eadem ac capituli, interdum bifoveolatus, foveolis in medio dorsi transverse positus. Scutellum parvum, triangulare, punctulatum. Elytra antice thorace vix latiora, a basi ad apicem sensim dilatata, marginata, punctato-striata, interstitiis planis, sub lente vix sensim punctulatis. Pedes obscure picei, tarsi rufescentibus.

XXXV.

ANTHICUS *mylabrinus*, NOB.

Tab. II, fig. 13.

Niger, nitidus, tenue pubescens; antennarum basi, thorace, elytrorum fasciis duabus transversis pedibusque rufis.

Longit. 1 $\frac{1}{2}$ lin. — Latit. $\frac{1}{2}$ lin.

Frequens in arenosis atque ad littora paludum Sardiniae orientalis, vere et aestate.

DESCR. Inter elegantiores huius generis species. — Caput globosum, nigrum, nitidum, subtilissime et crebre punctulatum, antenarum articulis sex primis rufis. Thorax oblongus, cordatus, capite angustior, lateribus immarginatus, ante medium dilatatus, postice angustatus, valde convexus, supra et infra laete rufus, nitidus, tenuissime pubescens. Scutellum parvum, nigrum, apice rotundatum. Coleoptra thoracis basi duplo latiora, convexiuscula, nigra, nitida, tenuissime pubescens, creberrime sed vix conspicue punctulata, fasciis duabus transversis, rufis, prima basi, altera apici proxima. Corpus infra nigrum, nitidum, pedibus rufis, femoribus interdum obscuris.

XXXVI.

BRUCHUS meleagrinus, NOB.

Tab. II, fig. 14.

Niger; thorace subtrapeziformi, inermi, macula praescutellari albo-villosa; coleoptris punctis quatuor fasciisque postica flexuosa, ad suturam interrupta, albo-villosis; antennarum basi pedibusque rufis, femoribus posticis inermibus.

Longit. 1 - 1 ½ lin. — Latit. ¾ - 1 lin.

In floribus praesertim Rosacearum, aestate: rarus.

DESCR. Pulchra et egregie picta species; quoad corporis formam, *Brucho histrioni* et *Brucho jocosio*, Schön., Sardiniae itidem incolis, affinis. — Corpus supra nigrum, subnitidum. Caput oblongum, deflexum, creberrime punctulatum, oculis lunatis, in ♂ prominulis. Antennae longitudine fere corporis, nigrae, articulis tribus vel quatuor baseos rufis vel rufo-maculatis, sequentibus gradatim maioribus, compressis, in ♂ interne acuminatim productis, ultimo elongato, apice attenuato. Thorax conferte punctatus, antice angustatus, angulis anterioribus rotundatis, posticis acutis, basi bisinatus, lobo medio producto, subtruncato, dense albo-villoso. Scutellum rotundatum, dense albo-villosum. Coleoptra evidenter striata, interstitiis planis, alutaceis, maculis paullo ante medium quatuor (duo in singulo elytro) transverse positae, externa

seu marginali didyma, interna, suturae proxima, oblongiuscula, longitudinali, fasciaque prope apicem transversa, flexuosa, ad suturam interrupta, dense albo-villosis. Pygidium fuscum, maculis duabus dense albo-villosis. Corpus infra nigrum, pubescens, mesothorace et metathorace albo-villosis. Pedes rufi: femora postica edentula, omnino vel basi tantum nigra: tarsorum articuli ultimi nigri.

XXXVII.

RHYNCHITES *ilicis*, NOB.

Tab. II, fig. 15.

Nigro-aeneus, subpubescens; capite quadrato; thorace profunde punctato; elytris postice latioribus, rugulosis, vage punctatis.

Longit. 1 $\frac{1}{4}$ lin. — Latit. $\frac{2}{3}$ lin.

In gemmis et foliis nuper exclusis *Quercus ilicis* frequens, vere et aestate.

DESCR. Elytrorum punctura *Rynch. polito*, Stev., cuius patria Tauria (1), affinis. — Corpus totum nigro-subaeneum, nitidum, pube brevissima, nigra, ope lentis conspicua, obtectum. Caput quadratum, convexum, punctatum, ante oculos abrupte constrictum, vertice obsolete canaliculato: rostrum capite duplo et ultra longius in ♀, capite sescuplex in ♂, depressum, apice paullisper dilatatum, striolatum, inter antennas obsolete canaliculatum: oculi in ♀ subplani, in ♂ globosi, prominuli. Antennae nigrae, longius pilosulae, basi propius quam medio rostri insertae. Thorax capite vix latior, latitudine longior, subcylindricus, basi apiceque truncatus, pone medium utrinque subdilatatus, confertissime et profunde punctatus. Coleoptra thoracis basi latiora, disco anterieus deplanato, postice dilatata, convexa, crebre et vage punctulata, interstitiis subelevatis, rugulosa. Pedes longiusculi, pilosuli, validi, femoribus paullulum incrassatis, corpori omnino concolores.

(1) Schönherr, Curcul. T. I. pars I. pag. 235. n. 36.

XXXVIII.

ERIRHINUS *atomarius*, NOB.

Tab. II, fig. 16.

Niger, opacus, tenuissime pubescens, antennis tarsisque rufo-piceis; clytris striato-punctatis tuberculis nigro-holosericeis adspersis; tibiis basi apiceque griseo-pilosis.

Longit. $3\frac{3}{4}$ lin. — Latit. $1\frac{1}{2}$ lin.

Bis lectus sub arborum cortice prope Iglesias, hyeme.

DESCR. Caput breve, nigrum, punctatissimum, antice attenuatum, fronte obsolete impressa, oculis planis: rostrum nigrum, longitudine capitis cum thorace, teres, arcuatum, punctatissimum, parce setosum. Antennae rufo-piceae. Thorax latitudine vix brevior, confertissime granulatus, supra parum convexus, pone oculos constrictus, dein rotundato-dilatatus, angulis posticis fere rectis. Scutellum parvum, ovatum, cinereo-pubescens. Coleoptra thorace latiora, humeris compresso-subprominulis, minutissime granulata, eleganter striato-punctata, punctis immersis, elongatis, subcatenatis, nitidis, interstitiis planis, atra, pilis brevissimis, prostratis, cinerascensibus adspersa, tuberculisque nigro-holosericeis, crebris, variegata. Corpus infra confertissime et concinne granulatum, nigrum, subnitidum. Pedes concolores, breviter setosi, femoribus muticis: tibiae rectae, basi angustissime albo-annulatae, apice late griseo-flavescenti-pilosae: tarsi rufi, griseo-pilosi.

XXXIX.

STENOPTERUS decorus, NOB.

Tab. I, fig. 23.

Nitidus, *pubescens*, *rufo-testaceus*; *capite*, *pectore pedibusque nigris*;
elytris parallelis, *viridi-cyaneis*.

Longit. 3-4½ lin. — Latit. ⅔ - 1¼ lin.

In floribus umbellatis Sardiniae montosae, secus amnes, rarus: aestate.

DESCR. Elegantissima species *Stenoptero cyaneo* Fabr. magnitudine et forma simillima. — Corpus totum nitidum, pilosum, pilis rariusculis, longis, erectis, griseis. Caput nigrum, crebre punctatum, punctis latis, confluentibus. Antennae nigrae, articulis 5 apicalibus fere depilibus, 1.º crasso, punctatissimo. Thorax supra et lateribus rufo-testaceus, infra niger, antice posticeque coaretatus, linea submarginali transversa impressus, punctatus, tuberculatus, tuberculis utrinque binis, quorum superi maiores; quinto solitario, in medio dorsi prope basin posito. Scutellum parvum, triangulare, obtusum, dense pubescens. Elytra thorace latiora, postice neutiquam attenuata, plana, viridi-cyanea, confertissime punctato-rugosa, punctis latis, erosis, confluentibus, apice vix deliscente. Alae fuscae. Mesothorax et metathorax infra nigri. Abdomen flavo-testaceum, segmento 1.º maximo, reliquis simul sumptis longiore; 2.º brevissimo, confertissime villosa, villis erectis, laciniatis, crispatis, flavo-aureis. Pedes nigri, longius pilosi, femoribus modice clavatis.

Mas differt a faemina statura minore, villisque segmenti secundi abdominis longe paucioribus.

Observ. Structura abdominis, eadem in hac specie ac in *Stenoptero cyaneo*, a structura abdominis *Stenopterorum* genuinorum toto coelo diversa: elytra insuper nec subulata, nec attenuata. Nonne ad proprium et distinctum genus referendi?

XL.

ADIMONIA *sardoa*, DAHL.

Tab. I, fig. 25.

Nigra; thorace rugoso, trifoveolato; elytris punctatis, costis quatuor elevatis, postice per paria confluentibus.

Longit. 5 - 5 $\frac{3}{4}$ lin. — Latit. 3 - 3 $\frac{1}{2}$ lin.

In Gnaphaliis aliisque Compositis corymbiferis sat frequens, aestate.

DESCR. Hanc speciem ad *Galerucas* ab inventore Dahlio relatam *Adimoniis* Laichartingii numerant recentiores. — Corpus totum nigrum, nitidum, postice valde dilatatum, obtusum. Caput parvum, punctat-rugosum, punctis scilicet confertissimis, latis, profundis, confluentibus, linea verticali impressa. Antennae nigrae. Thorax capite latior, brevis, transversus, utrinque marginatus, marginibus latis, subreflexis, sinuosis, in medio rotundato-dilatatis, angulis anticis obtusis, posticis subrectis, punctato-rugosus, trifoveolatus, foveola media oblonga, lateralibus subrotundis. Scutellum quadrilaterum, transversum, punctulatum, sulculo longitudinali saepius bipartitum. Elytra thorace latiora, argute marginata, margine reflexo, punctata, punctis latis, profundis, parum confertis, in series fere regulares dispositis, sutura costisque quatuor in singulo elevatis, postice per paria confluentibus. Corpus infra nigrum, nitidius, pedibus concoloribus.

XLI.

CHRYSOMELA *stachydis*, NOB.

Tab. II, fig. 17.

Nigra vel cyanescens, nitida; thorace laevissimo, lateribus incrassatis, punctatis; elytris seriatim punctatis, seriebus per paria approximatis; antennarum articulis 1.º et 2.º rufo-maculatis.

Longit. 3 - 4 lin. — Latit. 2 - 2 $\frac{1}{2}$ lin.

Larva et imago frequens in foetidissima *Stachyde glutinosa*, qua vescitur. In montibus dell'Oliastra, m. maio.

DESCR. Corpus totum nigrum, nitidum, subcoeruleum, rarius obscure virescens. Caput laeve, inaequale, foveola oblonga, punctulata, oculis contigua, lineaque frontali, recta, impressis: clypeus punctulatus, linea arcuata profunde impressa a fronte distinctus. Antennae corpori concolores, articulis 1.º et 2.º antice rufo-maculatis. Thorax convexiusculus, disco glaberrimo, lateribus per totam longitudinem incrassatis et punctatis, punctis latis, profundis, inaequaliter congestis. Scutellum triangulare, angustum, elongatum, subtilissime et parce punctulatum. Elytra valde convexa, glaberrima, punctis latis et profundis in series 10 digestis impressa, serie prima suturae contigua decimaque omnino marginali solitariis, reliquis geminatis, seu per paria approximatis. Alae albae. Corpus infra nitidissimum, subcoeruleum, tarsis subtus rufo-spongiosis.

Observ. Ab omnibus Chrysomelis mihi cognitis, quibus elytrorum puncta in series duplices disposita sunt, differt haec nostra 1.º thoracis lateribus per totam longitudinem incrassatis et punctatis; 2.º elytrorum interstitiis glaberrimis, impunctatis; 3.º antennarum articulis 1.º et 2.º rufo maculatis.

XLII.

SPARTOPHILA *lineata*, NOB.

Tab. II, fig. 18.

Sordide flava; capite postice, thorace punctis duobus, sutura vittisque quatuor in singulo elytro interruptis nigris, interna brevissima.

Longit. $2\frac{3}{4}$ lin. — Latit. $1\frac{1}{2}$ lin.

In nive *del Genargentu* pluries lecta, m. iunio.

DESCR. *Chrysomelae 10-punctatae* Fabr. affinis. — Corpus supra et infra sordide-flavum. Caput vage punctatum, oculis maculaque inter oculos transversa, medio sinuata, nigris. Antennae sordide-flavae. Thorax punctatus, punctis versus latera confertis, profunde excavatis, in disco rariusculis, evanidis, macula parva rotunda, nigra, utrinque notatus. Scutellum rufescens, interdum fusco-maculatum. Elytra profunde striato-

punctata, striis per paria approximatis, interstitiis convexis, glaberrimis, longitudinaliter nigro-lineata, sutura nempe, interstitiisque 1.º 3.º 5.º 7.º-que interrupte nigris, interstitio 1.º basi tantum maculato: margo inflexus tenuissime etiam nigricat. Pedes sordide flavi tibiis mediis posticisque a basi ad apicem dilatatis, triangularibus, angulo interno apicali acuto, incurvo, externo magis producto, latiore, calcariformi: calcare in ♂ maiore.

Observ. Mas variat interdum thorace punctis quatuor notato, internis minoribus.

XLIII.

LABIDOSTOMIS *centromaculata*, DAHL.

Tab. I, fig. 24.

Viridi-aenea, nitida; coleoptris testaceis, puncto humerali, macula magna ovata ad suturam, strigaquè marginali utrinque, obscure viridi-aeneis.

♂ *capite magno, clypeo bicorni, mandibulis exsertis, pedibusque anticis longissimis.*

♀ *capite parvo, clypeo inermi, mandibulis absconditis, pedibusque anticis reliquos subaequantibus.*

Longit. 2½ lin. — Latit. 1 lin.

Frequens in *Erica scoparia*, ineunte aestate.

DESCR. Caput viridi-aeneum, rugosum, inaequale, fronte late intrusa, clypeo in ♂ bicorni, in ♀ leniter emarginato: mandibulae in ♂ magnae, exsertae, arcuatae, longitudinaliter adscendentes, subtus angulatae, intus dentatae, in ♀ parvae, absconditae. Antennae coerulescenti-aeneae, basi testaceae, aut testaceo-maculatae. Thorax capiti concolor, vage et profunde punctatus, brevis, transversus, capitis latitudinem aequans in ♂, capite latior in ♀ (fig. 24, a), antice recta fere truncatus, postice sinuatus, undique tenuè marginatus, lateribus rotundatis, angulis baseos reflexis. Sentellum obscure viridi-aeneum, nitidum,

punctulatum, obtusum. Coleoptera thorace duplo longiora, crebre et vage punctata, punctis versus apicem evanidis, testacea, nitida, puncto humerali, macula magna ovata ad suturam, strigaeque marginali nec basim nec apicem attingente, obscure viridi-aeneis. Corpus subtus viridi-aeneum, albido-pubescens. Pedes antici in ♂ valde elongati, tibiis incurvis, in ♀ reliquis vix sensim longiores, tibiis rectis.

XLIV.

SMARAGDINA *Ferulae*, NOB.

Tab. II, fig. 19.

Viridi-aenea, nitida; ore, antennarum basi, thorace pedibusque rufis.

Longit. 2 lin. — Latit. 1 lin.

Habitat frequens in foliis *Ferulae vulgaris* antequam planta haec in incultis Sardiniae vulgatissima caulem emittat.

DESCR. Caput thorace minus in ♀, thoracis latitudinem aequans in ♂, perpendiculare, inter oculos depressum, confertissime rugulosum, griseo-subpubescens, viridi-aeneum, nitidum, mandibulis, palpis mentoque rufis. Antennae viridi-aeneae, articulis tribus primis rufis. Thorax nitide rufus, glaberrimus, transversus, antice posticeque subtruncatus, lateribus rotundatis, tenue marginatis. Scutellum ascendens, nigro-aeneum, nitidum. Elytra viridi-aenea, nitida, punctato-rugosa. Alae fuscae. Pectus (mesothorax et metathorax) et abdomen viridi-aenea, villis densis, erectis, sericeis, minutissimis oblecta. Pedes omnino rufi.

Observ. *Mas* differt a *faemina* non solum capite latiore, sed etiam oculis magis prominulis, mandibulis pedibusque anticis sensim longioribus, etc.

XLV.

PAPILIO *Hospiton*, NOB.

Tab. II, fig. 20 larva; fig. 21 imago ♂.

Alis supra fuscis; primoribus maculis tribus prope marginem anticum, fascia discoidali interrupta lunulisque submarginalibus 8, flavis; posterioribus caudatis, fascia discoidali postice attenuata lunulisque submarginalibus 6, flavis, maculis coeruleis interpositis; angulo anali macula parva, semilunari, crocea.

Amplit. ♂ poll. 2, lin. 4.

» ♀ poll. 3, lin. 1.

Larva viridissima, spinosula, tentaculata, tentaculis flavis, lineolis nigris longitudinalibus interruptis, maculisque in singulo segmento quatuor rubris, variegata.

Habitat frequens in *Ferula vulgari*, cuius foliis vescitur, mm. iunio et ineunte iulio.

DESCR. *Pap. Machaoni* affinis. — Corpus subtus et lateribus flavo-villosum, supra nigrum. Caput flavo-villosum, linea occipitali et frontali nigra. Antennae nigrae. Alae supra pro maxima parte fuscae, atomis flavis irroratae. *Primores* obtriangulares, integerrimae, flavo-variegatae: iuxta marginem anticum maculae tres inaequales; interiore maiore, subrecta; media semilunari, praecedenti opposita; extrema rotunda, parva: iuxta marginem extimum lunulae octo parvae, in disco autem maculae 9, oblique digestae, ab angulo antico ad medium marginis posterioris sensim latiores, transversae, parallelae, secunda tertiaque obsoletis, seu nigro-obductis. *Alae posteriores* denticulatae, breviter caudatae, flavo, coeruleo et croceo variegatae: discus fascia triangulari flava obliqua, versus angulum analem attenuata, coloratus: margo externus tenuissime flavus, maculis submarginalibus sex lunulatis, eiusdem coloris: angulus analis macula semilunari, crocea, parva, notatus: inter discum autem et lunulas submarginales maculae septem, subobsoletae, coeruleae. Alae infra dilutius coloratae, maculis fasciisque flavis

laticioribus: posteriores maculis coeruleis croceo-marginatis. Pedes nigri albido-lineati.

Differt a *Pap. Machaone* 1.º larva spinosa, aliterque picta; 2.º fasciis discoidalibus in superiori alarum pagina angustioribus; 3.º angulo anali macula tantum semilunari picto.

Marem *Cisto Monspelliensi* insidentem reperi in viciniis *di Tortoli* die 20 m. maii: faeminam legi in *Barbagia Ollolai* prope Gavoi, ineunte iunio. Plura alia et, uti reor, nuper exclusa huius Papilionis specimina cominus vidi in montibus qui inter *Ovodda* et *Desulo* assurgunt, sed ingens et repente effusus imber me impedivit quominus ea insectarer et prehenderem.

Observ. Haud absonum visum est insignem hanc speciem Hospitonis nomine indigitare, utpote quae montanas Sardiniae regiones inhabitat, quibus seculo VI praefuit *Hospiton*, Barbaricorum Dux.







